



2b. 15



BACCHANALIA ABROGATA:

HOC EST,

BACCHA
NALIORUM USUM
INTRODUCTUM,

DAMNANS
DISSERTATIO:

Quam

DUCTU

M. JOANNIS FRANCI,

in Alma Viadrinâ,

Ornatissimorum Cultissimo-

rumque Juvenum Collegio,

loco horaque solitis;

dixit

JOANNES GAJUS, MULDA-TYNEUS

Bohemus.

IV. Cal. Marti

∞ IOC XXIII.

FRANCOFURTI AD ODERAM

Literis

HARTMANNIANIS.

BAOCHA
NALLORUM USUM
INTRODUCTUM

DAMNUS
DISSERTATIO

DE

M. JOHANNIS FRANKI

in Alma Vindobona

Optimissimum Culinarium

in Alma Vindobona

in Alma Vindobona

FRANKI JOHANNIS

FRANKI

FRANKI

MDCCXXIII.

FRANKI JOHANNIS

FRANKI

FRANKI JOHANNIS





um multa oc-
currāt, notatu digna,
Auditores Clarissimi,
Præstantissimi, humanissi-
mi; quæ literis memoriæque pro-
didit, nobilitatus scriptor, TACI-
tus: qui rerum pondere, in omnem
vitæ partem spectantium, tantò

illustriora, præ cæteris extulit trophæa: quantò erigere cacumi-
na altius, ——— *lenta solent inter viburna cupressi:*

Virgil.

tum illud sanè, quod de Germanis perhibuit testimonium; mini-
mè prætereundū est silentio: apud eos nimirū, PLUS MORES
obtinere BONOS; QUAM ALIBI, BONAS LEGES. Magnū
sanè elogium, & non nisi immortalitatis cedro dignum! quo ad-
ferit gravissimus Autor, morumq; censor severus; priscam illam
Germanorum gentem, nihil scurrile, nihil illiberale, petulans,
turpe, flagitiosum nihil, nihil obscœnum admisisse: sed cum Ho-
nestate; sed cum virtute, commercium omne habuisse: dehone-
stamenta proclivemque ad vitia facilitatem, longissimè abfuisse.
Quòd si nunc in vivis esset TACITUS: quâ verborum gravitate,
quâ severitate, seculi nostri detestaretur mores; qui hodie apud
illos ipsos populos, aliasque vicinas gentes, Sarmaticas præser-
tim & Sclavonicas, usu sunt recepti? Etenim illa virtutis præ-
stantia, non tantum non incrementa cepit, illustriorque est red-
dita: sed adeò insuper imminuta; ut pristinae virtutis sublato ro-
bore, rara ejus admodum, appareant vestigia: cum experientia
quotidianæ, planum sit testimonio: nec rectè factis ampliùs ex-
extare præmia: nec consuetudine inveteratam ubique gentium,
in vita communi turpitudinem; è Christianorum medio, tristi
quoque hac seculi facie; quâ penè in conspectu nostro,

*Tacit. de
morib. Ger.*

————— *jam proximus ardet*

Ucalegon; ———

Virgil.

abrogari, aut removeri, ullo modo posse. Exemplum hujus rei, si quis desiderat; convertat oculorum mentisque aciem, in dies hosce præsentis, BACCHO sacros; quib. effusæ petulantia, furoris, insaniam, audacia, licentiosæ temeritatis, impietatis, publica aperitur schola: ubi puriores quidem, verbi divini interpretes, ut & aliis, è thesauris suis, vetera & nova expromunt: ita & nunc, omnibus enituntur viribus: seriâ pœnæ divinæ severiorisque animadversionis denunciatione, festa hæc populo reddere invisa: laterem tamen lavant, & frustra sunt: cum rarus appareat,

Horat.

--- rigidus servator honesti;

qui comminationes divinas observet; secundum eas, vitæ suæ rationes instituat; qui

Virgil.

Index ipse sui, totum se exploret ad unguem.

At si Spiritus sancti, quod per internuntios & amanuenses suos explicat consilium; non nihil exquiramus altiùs; aliud longè nobis subinde ingeminari inculcariq; videbimus. Nimirum a cõsives
 a Eph. 2, 19. *sanctorum ac domestici DEI*, in Israelis Republica, b *creati sumus*
 b Eph. 2, 10. *in Christo Jesu: nō ut ultrò peccaremus, mundi hujus vanitatib.,*
 c Eph. 2, 10. *liquefcentes mollitiã: sed c ut in operib. versaremur bonis: d ut cō-*
 d Heb. 12, 12. *stanter ac indefessè, propositum nobis stadium, decurreremus: ut in-*
 e 1. Pet. 2, 21 *fidei ducem ac perfectorem Jesum, intueremur: e ut vestigia ejus in-*
sequeremur, ut premeremur eadem. Quocirca tempore me accommodans, operæ pretium, futurum arbitror: si impræsentiarum adstruam; rem loco ac professione suâ indignam, committere eos; qui, dum Christi profitentur nomen, BACCHI solemnibus se foedant; comessationibus, heluationibus, libidinibus flagitiisq; Spiritus S. templa conspurcant ac temerant. A vobis Auditores, qui Christum potiùs sequi, pulchrum ducitis; maximis quibus possum contendo precibus: ut cursum orationis meæ, contracto vocis compendio; hoc semihoræ dimenso; benevolentia faventiaque vestra zephyro, ad portum sibi propositum, provehere dignemini.

Atque ut hinc nostra profiscatur dictio, unde omnis turpitudine ducitur: neminem tam ab omni pietate derelictum opinor; qui non dicat statuatque; eos, qui Christo nomen dederunt:

ut

ut sub eius vexillis facerent stipendia; nō tantum, rem indignam, professione Christianā committere: sed & pejerare falsi iurios: omnibus insuper privilegiis & immunitatibus, quas sanctus Dei spiritus, in scripturis loquens, piis confirmat, penitus excidere: qui sanctissima legum senatusque frangunt decreta; qui BACCHI sacris sese mancipant,

Dicta nihil metuere, nihil perjuriam curant:

Catull.

præsentis dies, in summā insumunt ingluvie usque ad stultitiam; summis turpant sordibus, usque ad insaniam. Refert scriptor haud ignobilis, hujus mundi civibus solemne esse; ut *decipere pro moribus temporum*, ducant, *prudentiam*: at ii, qui Christi sunt municipes, non perinde

Plin. l. 8. Ep.

Et Curios simulant, & BACCHANALIA vivunt:

Jubenal.

norunt quippe exploratumque habent; quod Christus & Belial, *Non bene conveniunt, nec in una sede morantur.*

Horat.

Ac quod mali caput, protervia ista, impietate, dementiā, impudentiā & malitiā hominum accedentibus; hoc mundi præsertim senio, tantas egit radices: ut nihil nunc pudor valeat; nihil bonæ leges: nulla senum autoritas, magistratus reverentia nulla, eandem submovere possit: decreta omnia, tam ex altissimo majestatis divinæ throno profecta; quam sapientiorum judicio lata planè ex rerum natura tollere & profligare conantur: ut rectè Tiresias retulisse videatur Pentheo,

Quam felix esses, si tu quod, luminis hujus,

Ovid.

Orbus, ait, fieres nec BACCHICA sacra videres.

Consvenerunt, non solum sapientes, ex vestitu, de cujusque moribus, ingenio, capere indicium; sed & summates solemne habent, famulitium quo stipari solent, ex suis insignibus, tanquam Symbolā certā; modo peculiari, coloratis, insignire, vestibus. Quale nos, Auditores, ex Saturionum BACCHANTIUM vestitu habituque gentilitio, faciemus judicium? qui sub persona, sæpe mentito sexu, suas accedunt festivitates & solemnia? cujus divinabimus eosdem satellitium? Nullus requiritur aurespex: non augur importunus atque feralis; cum ariolari Christianis sit prohibitum. Proprius vester habitus atque incessus o BACCHANES,

longè certiora loquitur! quovis ariolo evidentiora conficit præ-
sagia! Vestitus vester personatus ipse, personam vobis detrahit!
detectos, vos in conspectum apricumque producit! Nimirum,
non gestatis imaginem, conditoris: non Christum, *magnam illum*
ovium, per sanguinem fœderis æterni pastorem; exhibetis archety-
pum: sed moriones potiùs; sed dæmonum larvas, sed spectra, sed
Faunos, Panes, Dryades; sed Sylvanos, sed Satyros refertis: qui
vix in subsolanis Indorum montibus; aut Ægypti cōspiciuntur
eremis. Portenta certè hominum feralia; quæ terra cum luctu ge-
mituque sustinet: quibus ipsa cœli luminaria & elementa omnia,
iracundiâ inflammata, extrema quævis, minitari videntur. Rectè
Poeta fatum horum queritur:

Tibul.

Ab miser! etsi quis primùm perjuriam celat:

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Nec dissoluta ista BACCHANTIUM vita, indigna modò Christianis,
ex civitate Dei in Satanæ castra eos faciens transfugas: sed tanto
iis est detrimento; ut particulâ illâ, divinæ auræ, h. e. rationis pri-
vilegio ac lumine mentis orbentur penitus: ut verbi divini lam-
pada, quam in ipsorum pectore Spiritus Sanctus accendit, ex-
stinguant refractarii; non rarò valetudinis dispendio: ut ipsis be-
stiis reddantur deteriores: ut diaboli retia, pleno quasi impetu
irruant: ut in exitium æviternum præcipitentur. Scilicet tanta, in-
solemnitatibus istis BACCHICIS, heluandi grassatur immanitas: ut
nulla hujusmodi adornari queat festivitas: nisi potoriæ concer-
tationes, in multam noctem, ad ebrietatem, ad furorè usq; insti-
tuantur: dum pleriq; M. Catonis effato: *nec orientem unquam so-
lem viderunt, nec occidentem*: quos idcirco rectè Seneca nuncu-
pat antipodes, quibus

Virg.

--- sera rubens, accendit lumina vesper

Nos ubi primus equi oriens adflavit anhelis.

Ex quo sæpenumero consequuntur miseri, & heu! nimis prodi-
gi salutis: ut corpora sua, quæ Spiritus sancti, esse debebant do-
micilia; profanent, pessudent, demoliantur. Istâ enim BACCHI-
CORUM vitiorum ochlocraâ; animi dotes supprimuntur: mentis
arx expugnatur; ingenii promptitudo obtunditur: Judicii acu-
men

men

men habetatur: dexteritas in consiliis obfuscatur: corporis vires prosteruntur: humidum primigenium exhauritur: concoctio conturbatur: tantaque Symptomatum subnascitur seges, quæ nervos omnes articulosque,

--- circais, effæminet acrius herbis.

Nec bonis externis BACCHE isti parcunt: fortunas sæpe, opes, facultates dilapidant; dum ad restim res redeat: adeò, ut non abs re, vel Jupiter ipse, voluptatibus plusculum indulgens; aliquando fingatur in aureum imbrem versus, puellarum in gremia, se demisisse. Fabularum involucris, sapiens tradidit antiquitas; BACCHUM Jovis insertum fuisse femori, à Dirce susceptum; eundem furere, inter lynces, tigres, pantheras, inter immanes deliciarum bestias. Quo ingenioso commento, & ad rei naturam proprietatemque apposito; innuere voluit vetustas; eos, qui BACCHO litant, ac lautè intemperanterque genio serviunt: ubi libidinis fervor ebrietate exarserit; tam scèdè ab honestate, tantis desciscere intervallis; ut inter illos BACCHI remiges, ac ipsas ratione destitutas bestias, parum sæpe interjectum sit discriminis. Atque hæ sunt viæ; hæ vanitates illæ mentis; quibus plerique ex paganismo, *semetipsos, dederunt protervia, ad certatim patrandam impuritatem omnem*; hæc illa pudendi nominis crimina; quæ in Paganis, non sua; sed Sp. S. linguâ calamoque, ter maximus ille gentium Doctor tantopere insectatur: *Ἄρα τὸ πᾶσι γέγονεν αὐτὸς ὁ θεὸς εἰς πᾶσι ἀπικίας, αἵ τε γὰρ θήλασαι αὐτῶν μετήλασαν τὴν φυσικὴν χῆσιν εἰς τὴν ὁρᾶν φίσιν.*

Eph. 4, 19.

Rom. 1, 26.

Non obscure eandem rem, persequitur, haud ignobilis gentilitatis scriptor: qui BACCCHANALIORUM sceditatem, vivis representaturus coloribus, ita refert: *Addita voluptates religioni vini, & epularum: quò plurius animi illicerentur: cum vinum animos & nox, & misti sæminis mares, ætatis tenera majoribus, discrimen omnine pudoris extinxissent. &c. Nec unum genus noxa, supra promiscua, ingenuorum faminarumq; erant, &c. Venena in didem, intestinaq; cades: ita ut ne corpora quidem, interdum ad sepulturam exsarent: multa dolo, pleraq; per vim audebantur. Occulebat vim: quòd præululatus, tympanorumq; & cymbalorum strepitu, nulla vox quiri-*

Lib. Dec. IV.

lib. IX.

quirantium, inter supra & cedes exaudiri poterat, &c. Permissi viri feminis, noctis accedente licentiâ: nihil facinoris nihil flagitii prætermisum. Plura virorum, inter sese; quam foeminarum supra. Si qui minus patientes dedecoris sunt, & pigriores ad facinus pro victimis immolari; nihil nefas ducere, summa inter eos religio. Viri velut mente captâ, cum jactatione fanaticâ corporis, vaticinantur: matronæ BACCHARUM habitu, crinibus passis, cum ardentibus facibus, decurrunt ad Tyberim: &c. Raptos à Diis homines dicunt, quos machina illigatos, ex conspectu, in abdito specus abripiunt: eos nempe, qui aut conjurare, aut sociari facinoribus, aut stuprum pati noluerint. Nemo sanè, cui fuerit

Perf.

--- incoctum generoso pectus honesto:

non detestari, non exhorrescere poterit; tot, tamque nefarios modos, corpus hominis, quod Spiritus sancti esse debebat domicilium, profanandi: ut turpissima fiat & obscœna BACCHANALIORUM cloaca: h. e. proterviæ, insanix, stupri, adulterii incestæ & non dicendæ libidinis gymnasium:

Virg.

DI talem terris, avertite pestem!

Nec impunè tulerunt, abominationes hæc & bestialitatem. (res barbara, voce exprimenda barbarâ) ipsi quidem Ethnicis. Hoc illud est; quod DEUS dicitur siville versari gentes, in tenebris mentis suæ, easdemque tradidisse, in compensationem, & ἀντιμισθίαν, τῆς ἁγιοσύνης τῶν καρδιῶν αὐτῶν, εἰς ἀναστασίαν, καὶ ἀδόκιμον νοῦν; in mentem insanam & perversam: ubi extinctâ, & quasi cauterio resectâ conscientiam, maximam partem σωτηρίας sublatâ; rationis dexteritate, quâ bonum à malo dijudicatur, omnino sunt spoliati, & nunquam postea mentis suæ cōpotes facti: ubi in scelus omne; in aliena prorsus à naturâ, præcipites feruntur: à linea, quam ipsa recta comonstrat ratio, devii aberrantes: *obscuratam cogitationem habentes, & alienatâ à vita Dei; propter ignorantiam, quæ est in ipsis propter obdurationem cordis ipsorum. Deum se scire profitentes; scd factis negantes: cum sint abominandi, rebelles, καὶ πρὸς πᾶν ἔργον αἰσθητὸν ἀδόκιμοι.* Nempe omnis ævi experimentis cōstat; quod

Eph. 4, 18.

Tit. 1, 16.

Hor.

Rarè antecedentem scelestum,

Deseruit pede, pœna claudo.

Simu-

Simulatque verò rationes revocabimus ad calculos : illico planum e-
 mergit: si gentibus in Paganismo versantibus, quæ erant absq; Christo, *Epb. 2, 12.*
 & Dei expertes in mundo; vanitates mentis, æternâ cum ipsorum igno-
 miniâ, tantopere exprobrat Apostolus : quod ad perdita illa & muta
 Deastrorum idôla, prout rari contigisset abripiiebantur: ubi omnium ma- *1. Cor. 12, 20*
 ximè abominanda, perpetrabantur in *BACCHANALIIS* : quod non
 nobis, quibus succedentibus seculis, summas opes gratiæ suæ, DEUS
 Miserator ostendit; extimescendum erit iudicium; si perdita *BACCHA-*
NALIORUM sacra, ab inferis reducere velimus? Scilicet hoc ipsum
 foret, *filium Dei pedibus conculcare, & sanguinem fœderis, per quem san-* *Heb. 10, 29.*
ctificati sumus, profanum ducere. At impossibile, eos, qui semel fuerint illu- *Heb. 6, 4.*
minati, gustaverintq; donum illud cœleste & participes facti fuerint Spiri- *5. 6.*
tus sancti, gustaverintq; bonum Dei Verbum, ac virtutes futuri seculi: si pro-
labantur, denuò renovari ad respicientiam: ut qui rursus crucifigant sibi-
metipsis Filium Dei, & ad ignominiam exponant. Nam si ultro peccaveri- *Heb. 10, 26.*
mus, post acceptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua *28.*
est hostia: sed horrenda quadam expectatio iudicii, & ignis fervor; qui de-
voraturus est adversarios. Horrendum verò est, incidere in manus Dei vi-
vi. Sed persuasimus nobis, cum Apostolo, de vobis, Auditores, istis melio- *Ibid. 6. 31.*
ra, & cum salute conjuncta; qui & pio vestro, satis testari videmini si- *Item. 6. 6. 9.*
 lentio; *BACCHANALIIS* omnibus, pridem vos, jam remisisse nūtiū,
 & ita animum inducere vestrum: ut existimetis, firmum stare; quod æ-
 ternâ lege cautum: *Deridens Dominum, non inderisus abibit.*
 Silentii, contego velariis; ista *BACCHANTIUM ORGIA* atque specta-
 cula, catastrophem secutam fuisse sæpenumero tam illætabilem : ut in-
 star brutorum, per omnes vias circumvolitantes, & effusam suam læti-
 tiam, furore planè insolito atque inaudito, prodentes; nihil periculi
 suspicantes; præter omnium opinionem expectationemque læticia ista,
 in tristitiam longè acerbissimam fuerit conversa. Non opus h. l. ex an-
 tiquitate, serie longâ repetere, tristes *BACCHANTIUM* indomitorum
 eventus. Quàm tragicus, Gigantes impios, defectores audacissimos,
 sceleratissimosq; apostatas, DEUM protervè laceffentes, in sacro sacra-
 rum literarum codice, sequutus fuerit interitus, universali cataclysmo *Gen. 6.*
 superinducto, ab omnib. tenetur. Nec de nihilo est, absonum ve; quod
 de Gigantum strage, memorat vetustas; quæ, verborum integumentis,
 res magnas memorabilesque, æternitati consecravit multas:

Homer.
Odyss. λ.

Οἶρα καὶ ἀθανάτοισιν ἀπλήτην ἐν ὀλύμπῳ
Φυλόπιδα σήσεν πολυαίικθ πολέμοιο.
Ὅσων ἐπ' ἑλύμπῳ μέμασαν φέρων ἀντάρ ἐπ' ὄσση
Πήλιον εἰνοσίφυλον, ἴν' ἔρανος, ἀμβατὸς εἴη.
*Hi superis praegrantibus, gravem bellumque minati,
Praegrandes montes; ut caelum posset adiri:
Involvère Ossam frondosum, mox ἔσ' Olympum,
Cum sylvis stabulisque, super te Pelion altum.*

Sophoc. in
Trachin.

Neque impunè tulit, tam efferratam effrenatamque audaciam,

--- ὁ γηγενὴς στρατὸς γιγάντων

--- terrigenum exercitus Gigantum:

quippe è sublimi suo, fuerunt deturbati solio; dum,

Ovid. 5, Fast.

Fulmina de caeli jaculatus Jupiter arce;

Vertit in auctores pondera vasta suos.

Quàm miserè Cyclopes omnes; quorum quispiam omnia fulmina, vel uno ventris ictu, se displosurum apud Euripidem jaçtitabat, dispersi confectique fuerint, nemo ignorat. At verò quid de Gigantibus, Cyclopibus, & plurimis ejusmodi furturib., sentiemus aliud; quàm **BACCHI** sacrificulos & mancipia extitisse; divini nominis ac numinis contemtores fuisse? majestatem divinam, factis impuris bestialique immanitate ac furore offendisse? Neminem latet, foedù **BACCHI** servitium, Sardanapalus; qui faciem cerusâ fucans, & pensa inter scortorum greges trahens, omisâ imperii curâ, gulæ & libidini addictus; Satraparum Praefectorumque incurrit odium; qui motis adversus ipsum armis, homini ignavo corruptiorique muliere, parère detrectârunt: quo adductus, ipse in summis versans angustiis, pyrâ exstructâ, se divitiasq; suas igni cremandum commisit, horrendum omnibus seculis,

--- *vita, mortalibus est documentum.*

Si votis res conficerentur nostræ, optandum esset: omnia **BACCHI** fomenta, prava irritamenta, de hominum abusu loquor, pyrâ istâ exustâ, simul defuisse, evanuisse. Sed inanes cogitationes! infinitam nullis non seculis

Juvenal.

--- *dedit hæc contagio labem.*

Multos cùm ad Acheruntem abiret, reliquit; temporibus succedentibus, non tantùm crebriores facti numero; sed & flagitiis foediore; secuti quippe

Hor.

--- *Epicuri de grege porcis;*

Cam.

Cambyfes, Nerones, Heliogabali, Caligulae aliique complures naturae
 spurii atque abortus, --- quos praeterea longa referre mora est:
 ut verum deprehendatur illud; eandem in mundo; Satanam agere co-
 mœdiam, mutatis saltem personis. Obversatur mentis nostrae oculis,
 in Parisiorum urbe, sub Carolo VI. patrum nostrorum memoriâ, quo-
 rundam tragicus eventus: qui cum Rege personati, Sylvestrium virorum, *Bapt. Fulgos*
totum villosum corpus & formas, sumpserant: Regis verò frater, Aurelia- *l. 9. c. 12.*
nensis Dux, qui in eos fortè inciderat, familiariter eos agniturus: accensum
funale personatis admovit; ut eos diligentius intueretur. Quid de cætero
factum? flamma unius velum, quod tenui lino, pice illitum erat; præter
spem omnium expectationemque corripuit: ignis ob picem repente se-
vuit, ab eo in alios, qui propè erant, flamma transiit: quatuor miserè cõ- *Zigler. de*
sumtis, quintus in promum vinarium se proripuit: ubi ægrè, se fugi sal- *incert. rer.*
vare potuit: Rex in morte præsentanea extremoque constitutus peri- *human.*
culo; eripi vix potuit! Eventus sanè rei, ut videbatur lætæ, minimè læ-
tabilis! Memorabiles sunt, Gallorum præfidiariorum; VESPERÆ SI-
CULÆ, anno supra millesimum, ducentesimo octuagesimo secundo,
die Solenni Paschæ peractæ: ubi nullo sexus, ætatis vel ordinis discri-
mine habito; Galli universi, ad unum usque per totam insulam, promi- *Æmil. l. 7.*
scuè sunt mactati, Quippe conjuratum est adversum Gallos ac consilium *Antima-*
initum: ut ad primum campana signum; quo vespertinae preces significatur, *chiavel com-*
per totam Siciliam, hospes, hospitem Gallum, interimeret: idq; die Solenni *ment. 1.*
Paschæ. Cædes patrata fuit exemplo tam funesto: ut duarum horarum *in Theor. 3.*
spatio, octo millia Gallorū, eâ clade internecioni data scribantur: mu-
lieribus, quas Gallorum compressu, gravidas esse suspicabantur, execti uteri;
fœtus solo allisi sunt: ne quid usquā Gallici sanguinis superesset. Ita nempe,

--- ἔχων θεός, ἐκδίκον ὄμμα;

habens Deus vindicem oculum:

Homer.

justitiam suam exerit, & ultrici manu persequitur; qui nomen ejus nu-
 menque sacrosanctum, profanare præsumunt.

Quòd si quis hæc neque percipere, neque mente aut cogitatione
 adsequi posset: is sibi proponat Romanorum in *BACCHANALIA* fe-
 veritatem, & in *BACCHANTES* irrogata supplicia: nec tam desperata
 erit malitiæ, tamvé malitiosi ingenii: quin ipsorum statuta altiùs repe-
 tens, erubescat, & tantum pudore non suffundatur. Enimvero cum ad

Liv. Dec. ipsos, BACCHI sacra celebrari, deferretur: additas voluptates religioni,
 IV. libr. IX. vini & epularum: quò plurimum animi illicirentur: cum vinum animos, & nox,
 & misti feminis mares, atatis tenera majoribus, discrimen omne pudoris
 extinguat: corruptelae primùm omnis generis fieri ceptas: cum ad id quisq;
 quò naturam pronioris libidinis esset. paratam voluptatem haberet: nec unum
 genus noxae; supra promiscua, ingenuorum foeminarumq; esse; labem item,
 contagiumq; ORGIORUM, non intra privatos serpere; sed multitudinem
 ingentem; sed alterum prope jam esse populum: peculiare BACCHAN-
 TES plectendi excogitarunt modos; ne in libera ipsorum Repub. post-
 hac, tale committeretur quidquam. Atque in istorum gravitatem seve-
 ritatemque posteaquam oratione meam, semel incidi: nequeo commit-
 tere; quin Posthumium Cos. cogitationibus animisque vestris, concio-
 ne advocatam, loquentem subjiciam. *Equidem, inquit, nec quid ta-
 ceam, nec quatenus proloquar, invenio. Quicquid dixero, minus quam pro
 atrocitate & magnitudine rei, dictum esse scitote, &c. quales primùm no-
 sturnos cœtus? deinde promiscuos mulierum ac virorum esse creditis? Hoc
 sacramento initiatos juvenes, milites faciendos censetis Quirites? iis ex
 obsceno sacrarioeductis, arma committenda? hi cooperti stupris suis alie-
 nisq; pro pudicitia conjugum ac liberorum vestrorum, ferro decernent?
 Quicquid iis annis libidine; quicquid fraude, quicquid scelere peccatum;
 ex illo uno sacrario scitote ortum esse. His nempe elogiis, hac facie, sapi-
 entissimus cordatissimusque vir, in Paganismo versans, auribus ocu-
 lisque nostris subjecit BACCHANALIA. At enim, cum verbis nudis
 subsistere, minimè deceat; quibus si acquiescamus, leges nostrae, cada-
 veri, animam destituto, non absimiles futurae sunt; aut tintinabulo pistil-
 lo carenti. S. P. Q. R. progressi sunt ulterius ex statutorum rigore, BAC-
 CHANTES constrinxerunt supplicio: ubi recitari Senatusconsulta iusse-
 runt, indiciq; premium proposuerunt: si quis quem ad se deduxisset: nomen-
 ve absentis detulisset: qui nominatus profugisset, diem certam se finituros,
 ad quam nisi citatus respondisset, abiens damnaretur, &c. Edixerunt de-
 inde, ne quis quid fugae causam vendidisset, neve emisse vellet: ne quis recipe-
 ret, celaret, ope ullam juvaret fugientes. Qui tantum initiati, & ex carmine
 sacro, praecunte verba sacerdote precatationes fecerant: in quibus nefanda
 conjuratio, in omne facinus ac libidinem continebatur: nec earum rerum
 ullam rem, in quas jurejurando obligati erant, in se aut alios admiserant;*

eos in vinculis relinquebant, qui stupris aut cadibus violati erant; qui falsis
 testimoniis, signis adulterinis, subiectione testamentorum, fraudibus aliis
 contaminati, eos capitali poenâ afficiebant: plures necati, quam in vincula
 coniecti sunt. Datum deinde consulibus negotium est: ut omnia BACCHA-
 NALIA Roma primùm, deinde per totam Italiam diruerent: extra quam,
 si qua ibi vetusta ara, aut signū consecratum esset. In reliquum deinde S.C.
 cautum est, ne qua BACCHANALIA Roma, neve in Italia essent. Concione
 dimissâ, terror magnus, urbe tota fuit, nec mœnibus se tantam urbem, aut fi-
 nibus Romanis continuit; sed passim per totam Italiam, literis hospitum
 de S.C. & concione, & edicto consulum acceptis, trepidari cœptū est. Multis
 ea nocte, qua diem insecuta est, quo in concione res palam facta est, custo-
 die circa portas positis, fugientes à triumviris comprehensi & reducti sunt,
 multorum nomina delata. Quidam ex illis viri fœminaq; mortem sibi con-
 sciverunt. Ceterum tanta fuga ex urbe facta erat; ut multae actiones re-
 perirent: & c. Ac quia in Repub. integra, nō sufficit, malos poenis reprimere:
 sed & bonos condignis beare præmiis convenit: P. Ebutio & Hi-
 spala Fecenia; quod eorum operâ, indicata BACCHANALIA essent, S.C. fa-
 ctum est; ut singulis his, centena millia aris, quaestores urbani, ex arario da-
 rent: & c. ut P. Ebutio emerita stipendia essent, ne invitus militaret, neve
 censor ei equum publicum assignaret, & c. Ea omnia lata ad plebem factaq;
 sunt ex, S.C. & de ceterorū indicum impunitate præmiisq; consulibus per-
 missum est. Tantâ, Romani, cultu divino caligantes & tenebris, plus
 quàm Cimmeriis sedentes; naturæ duntaxat instructi lumine, in BAC-
 CHANTALIIS abrogandis, severitate sunt usi: ne in ipsorum Rep. habe-
 rentur amplius, ceteriq; ab eorum turpitudine retraherentur. Nec Ro-
 mani solūm, rerum domini, qui ceteros & morum gravitate & disci-
 plinae rigore post se reliquisse creduntur; infelici BACCHANTES da-
 mnârunt literâ: sed & Scythas Græcis probro dedisse BACCHANDI con- Herod.
 suetudinem: negantes esse credibile, Deū invenisse, quo homines ad demen- lib. IV.
 tiam adigantur: memorat Herodotus. Quibus gentis Turcicæ mores ex-
 plorati sunt penitus; referunt eandem, Temperantiâ, æquitate, justitiâ,
 charitate erga se invicem, aliisq; virtutibus, plerosq; ex Christianorum
 plebe, para sangis multis anteire. At turpe est homini Christiano; & in-
 dignum vocatione suâ, & probrosam: permittere, ut sibi à barbaris, &
 extra Ecclesiæ pomeria terminosq; locatis, quales olim Romani Scy-
 thæq;

thæq; extiterunt, & hodiè à nobis Turcæ vulgò præsumuntur; in iis
 quæ vel ratio dictitare poterat, præripiatur palma: unde tandem cōse-
 quuntur illud: ut ipsorum religio, nominisq; professio, in dubiam vo-
 cetur: ut Ecclesia Christi impropriis traducatur, conviciis laceretur: ut
 Rom. 3, 24. sanctissimum *Dei nomen blasphemetur inter gentes*. Ex qua socordia ul-
 terius, non potest non exurgere seculū pietatis sterile: eorumq; nume-
 rus, qui saluberrimum evangelii nectar bibunt, in succū sanguinemq;
 convertunt; qui fidem suam operibus testantur & probant; ad exiguam
 raritatem fedigi: è contrario impietate hominum, vires capiente indies
 ramosq; diffundente latius. Quocirca pietatis jura, non postulant; sed
 flagitant: ita vitam instituamus nostram, ne *BACCHANALIIS* indul-
 gentes, meritò impietas nostra, ethnicis ipsis, iisvè, quos creatorem cœ-
 li non ritè invocare præconcepimus, reddatur exosa. Video vos, Audi-
 tores, non manibus tantū pedibusq; in hanc abire sententiam; sed &
 paratos ac velut accinctos stare ad ejicienda, & ex omni seculorū me-
 moria radicitus extirpanda *BACCHANALIORUM* sacra: est tamen ex
 infinita hominum multitudine non nemo: qui has voces regerit: Ergo-
 ne omnes Christianorum conventus, omniaq; spectacula theatra. è
 medio tollenda? virium restitutioni nihil dandum? Ergo ne summa-
 tum præsertim recreationi, columnisq; quibus Resp. innititur, nihil cō-
 cedendum? Est omnino, nec quicquam hoc nomine differo. Jubet ex-
 ultare Dei Spiritus: gaudia tamen ista, per Prophetam regium, certis
 arctisq; circumscribit limitibus. Ita enim ille;

Ps. 2,

*At vos, in populos, quibus est permissa potestas:**Servite Domino cum TREMORE: gaudiis,**Et TIMOR & Domini accedat REVERENTIA vestris.*

a Col. 1, 15.

b Heb. 12,

23.

c Eph. 4, 10

d Heb. 10,

20. 21.

e Tit. 2, 5.

f Jac. 1, 18.

g Eph. 2, 15.

h 2. Cor. 5,

17.

i Eph. 4, 22.

23. 24.

23. 24.

Ita jam olim, affatus est Sp. S. Magnates. At nobis, qui sub *N. Testamenti*
Mediatore Jesu, PRIMOGENITO omnia CREATURÆ; b in cōventu &
 cōcione *PRIMOGENITORUM,* versamur: providā magis curā opus est
 & circumspectiori: c *cū nō ita didicerimus Christum;* d *sacerdotem ma-*
 gnum, *præfētū domui Dei: qui initiavit nobis viam NOVAM & viventem;*
 e *& servavit nos, per lavacrum regenerationis & renovationem Sp. S. f ut*
 g *essemus primitia quedam, suarum CREATURARUM,* h *quæ & lva & tior & noi-*
 17. *vōv & v & ω π ο ν.* Scilicet, quia h *vetera præterierunt & NOVA facta sunt*
 i *omnia: incumbit nobis, i deponere VETEREM illum hominem, qui dece-*
 23. 24. *ptribus cupiditatibus corrumpitur: RENOVARI verò Spiritu mentis, &*

induere NO VILM illum hominem: qui secundum Deum **CREATUS** est, in
 justitia & sanctimonia veritatis: **qui RENOVATUR**, in agnitionem con- k Col. 3, 10.
 gruente imagini eius, qui ipsum **CREAVIT**: cum omnis, qui est **in Cbri-** l 2. Corint.
sto, nova sit **CREATURA**; nec in quicquam in **Cbristo Jesu**, nisi sola **NOVA** 5, 17.
 valeat **CREATIO**. Verum, ne è circo, nostra quadantenus excurrat di- m Gal. 6. 15
 ctio: unum saltem superpondii nomine addemus firmamentum: momen-
 tis suis & valore penè primum. Hæc inquam ipsa **BACCHANALIA**,
 res sunt pessimi exempli, & scandalorum plena: ubi & boni mores cor-
 rumpuntur, & multa pia pectora, ingemitus resolvuntur ac suspiria. At
 verò, quisquis, inquit ille **VERAX**, offenderit aliquem ex parvis istis, qui in Matt. 18, 6.
 me credunt; præstiterit ei; ut suspendatur mola asinaria, in collo ejus, ac de-
 mergatur in profundo maris. Verba sanè, non numero, æstimanda, sed
 pondere: quibus tum atrocitatem delicti, tum gravitatem poenæ, expri-
 mit Servator: dum & in pusillos delinquitur; & omnium gravissimum
 supplicii genus subire præstat: molam nempe non trusatili, sed asinariâ;
 sed grandi, collo appensâ, in maris abyssu submergi: morem Judæorū,
 qui atrocium scelerum convictos, lapide molari alligato, in aquarum
 voraginem immittebant, macerabant; aut Romanorum cōsuetudinem,
 in parricidas animadvertentiū, respiciens. Quod si verò, per **BACCHI**
 sacra, parvulis non eveniunt scandala, sanè quod parvos fideles offen-
 dere sit, me ignorare ingenuus profiteor. Nec enim adolescentior tan-
 tum ætas, teneræq; mentes, a superioribus formandæ studiis, sacris istis
 temerantur, **BACCHICIS**: quicquid masculi, ipsorum inest animis, e-
 viratur, corrumpitur: ut virtuti ante nuntium mittant; quam virtutem
 nosse didicerint: sed & ætatis provectoris homines, qui nomina jam
 scripta habent, in virorum cordatorum tabulis, non rarò inquinantur
 vitianturq; morum malorum pestilentia. Ac nisi fœdis hisce sordibus;
 quibus tanquam ex mephyti quâdam, teterrimus vitiorum evaporat
 halitus, qui plures, perinde planè turpat ac fœdat; atque

-- grex totus, in agris

Unius scabie cadit & porrigine porci:

saniores Christianorum, non solum lege naturæ dictante; sed & præ-
 stantioribus promissis inducti, sibi suasissent: nihil esse in mundo expe-
 tendum, nisi piam sobriamq; vitam: in ea autem consequenda, omnes
 vanitates, omnem intemperantiam, ineptiasq; fugiendas esse: nunquam
 à **BAC-**

Juvenal.

à *BACCHANTIVM* se juncti essent cœtu. Mundus solemne habet, beatitatem felicitatemq; suam æstimare, ex fortunæ ludibriis, aut ingenii corporisq; dotibus. Ego si rectè novi ponere calculū, beatiorem eum dixerim; qui huic fidissimæ Servatoris voci, aurem patulam æquamq; cōmodaverit: cui vos singulos ac universos ad surgere, singularis vestra, A. innuit attentio: quā, studiis graviorib9, nō nihil sequestratis; me benignè audire voluistis. Et quia in bona causa, vel tria verba sufficere poterant; ulterius vestra, nō abutar benevolentia. Proinde Vos, virtutis gloriæque candidati omnes: qui datam fidē fallere ominosum ducitis: qui Christum Ducem Dominumque vestrum agnoscitis: qui virtute potiùs ambire; quàm sanguine longo; statuitis: qui prisca mortaliū gentis dictata agnoscitis: qui pullorum virtutis sapientiæque vestigia premere; qui animi; qui corporis salutem, sartam, tectam cupitis: qui parvorum scandala, evitare ac declinare studetis: hoc animi robore, hac pietatis indole atque temperantiæ sitis: ut omnia aversemini *BACCHANALIA*: ex adverso, omnem vitæ cursum, in amore honestatis conficiatis, nihilque in vita expetendum arbitremini, nisi quod sit cum pietate & morum concinnitate conjunctum. Felicem eum; qui *BACCHANTIVM* exitio cautior factus, *BACCHANALIORVM* sceditatem perspicit: felicior, qui eorundem scopulos cautus præternavigaverit: felicissimum, qui salutis suæ in medium consulens; vitam, statione quā locatus, vocatione sanctā, dignam duxerit. Ac quia nunc justus ac vindex DEUS; de Majestatis suæ throno consurgit, furoris sui gladium corripit, accingit, dstringit: ut rebus tantum non conclamatis; in ejusmodi hæreamus temporibus; ubi solent,

---- omnia fatis,

In pejus ruere & retrò sublapsa referri:

attentiori curā, nobis evitandum erit; ne, dum DEUS, stringens in nos arma sua ultricia,

---- verbera dorso

Densius ingeminat; præfracti stemus aselli:

potiùs eò omni connitendum studio: quò, modestiā, temperantiā; pietate, superiorum reverentiā, virtutumque Christianarum stipati coronā, verè usurpari possit: PLUS apud nos MORES BONOS;

QUAM ALIBI, BONAS obtinere
LEGES.

D I X I.

Ja 666

ULB Halle 3
002 177 021




5b-700

V017

MC







BROGATA:

61.
77

HA
M USUM
TUM,

TIO:

RANCI,
inâ,
Cultissimo-

Collegio,
tis;

ALDA-TYNEUS

rt I
III.

ODERAM

ANIS.